

Ex ascensione recta cognita arcum eclipticæ sibi coascendentem indagare.

Quare numerum ascensionis rectæ in corpore tabulæ ascensionum rectarum, & ex directo eius in fronte quidem signi Zodiaci, in latere autem dextro vel sinistro numerum graduum eiusdem signi habebis.

Si autem ascensionem rectam propositam non inueneris præcise in area tabulæ memoratæ, accipe duas ascensiones rectas in tabula expressas, quarum altera quidem proximo minor extat ascensione proposita: altera autem immediate maior, & minore earum ex maiore dempta, numerum reliquum appellabis primum, qui quidem est portio vni gradui eclipticæ debita.

Deinde prædictam ascensionem minorem subtrahe ab ascensione recta proposita, & residuum pro numero secundo teneto. Tertius autem numerus semper erit 60. minuta. Duc itaq; secundum in tertium, & productum diuide per primum, quod namq; huiuscemodi diuisione partum fuerit de minutis, adijciendum erit numero graduum eclipticæ ex directo ascensionis rectæ minoris inuento, & colligetur numerus graduum ac minutorum, quos habet arcus eclipticæ quæsitus.

Handwritten calculations:

$$\begin{array}{r} 97 \text{ } 54 \\ 97 \text{ } 30 \\ \hline 65 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 97 \text{ } 54 \\ 97 \text{ } 30 \\ \hline 16 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 960 \\ 65 \overline{) 6200} \\ \underline{555} \\ 650 \\ \underline{650} \\ 0 \end{array}$$

Sit verbi gratia ascensio recta data 97. gradus & 54. minuta, quam non inuenio præcise in area tabulæ ascensionum rectarum: sed proximo ea minor est 97. gradus & 38. minuta; proximo autem maior 98. gradus & 43. minuta. harum ascensionum differentia est vnus gradus & 5. minuta, id est 65. minuta. Per resolutionem ecce primus numerus: minor deniq; dictarum ascensionum subtracta ex ascensione recta proposita relinquit 16 minuta, secundum scilicet numerum, tertius autem numerus erit 60. minuta, duco igitur secundum in tertium, producuntur 960. secunda, quæ diuisa per primum numerum scilicet 65, minuta, eliciunt 15. ferè minuta addenda 7. gradibus Cancræ.

Exemplum

$$\begin{array}{r} 60 \\ 65 \overline{) 6200} \\ \underline{555} \\ 650 \\ \underline{650} \\ 0 \end{array}$$

S E X T V M P R O B L E M A.

Punctum eclipticæ cum quo stella quæuis cælum mediat per scrutari.

Huiusmodi punctum eclipticæ non potest facilius ac breuius inueniri, quam per ascensionem rectam ipsius stellæ, quò certè præmittendum erat, qua lege talem ascensionem rectam computare liceret. Nam ipsa ascensio recta sæpenu-mero utilis est, & per maxime in directione significatoris cuiuscunq;. tametsi punctum, cum quo significator talis cælum mediat, ignoretur. Vnde seorsum docere libuit computationem ascensionum rectarum, ne quis directurus significatorem quempiam, arbitretur opus esse inuentione puncti, cum quo significator huiusmodi cælum mediat.

B 4

Adrem